



2b. 15



57.

68

RECTOR
ACADEMIÆ FRAN-
COFURTANÆ

CHRISTOPHORUS
PELARGUS

S.S. Theologiæ Doctor & Professor P. Gene-
ralis totius Marchiæ Superattendens, Ec-
clesiæ Pastor, Ordinis Sacri Senior
& p.t. Decanus, &c.

ad deducendum funus

JUVENIS

Eximiâ spe magnæ virtutis
& laudabilis doctrinæ

DAVIDIS CALMANI

Rautenâ -- Silesii

SS. Theologiæ & Philosophiæ
cultoris industrii,

Quod

Populari desideratissimo

a. d. xvi. Kal. Septemb.

Anni


MDCCXXIV.

honorificè adparatum cupiunt

CONTERRANEI,

Cives Reipubl. Literariæ universos

amicè invitat.



Typis MICHAELIS KOCHII.



Eminem in hujus mundi calamitatibus
ἐξωβελῶν constitutum esse, sed turmatim
plerumq; & veluti compositò in unum
aliquem æumnas plures irruere, docu-
mento est Vir reverendus, ab insigni eru-
ditione, literata humanitate & orthodoxâ religione
commendatissimus Dn. GEORGIUS CALMANUS Pastor
Ecclesiæ Urschkoviæ non procul à Rautena in Ducatu
Principis Lignicensium augustissimi &c. sitæ vigilan-
tissimus. Exiguo enim temporis spacio mors insperata
duorum filiorum, partim Bethaniæ ante annos ali-
quot, partim hic ante tres hebdomadas defunctorum
parentem fecit mœstissimum: en ad præcedentis &
recentis doloris morsum nunc temporis vulnus acces-
sit planè χειρῶν ἐσθλῶν. Orbatus enim est, non ut antea, pue-
rilis ætatis flosculo, aut artis mechanicæ cultore: sed fi-
liorum electissimo DAVIDE, juvene moribus & literis
cultissimo: cujus ætas annorum, sedulitas studiorum,
integritas virtutum cumulum spondebat minimè exi-
guum. Etenim si ex antea actis futurorū pendet æstima-
tio, ita fuit ille à natura formatus, à parentibus & præ-
ceptoribus informatus, ab usu confirmatus, ut quid de
maturioris ætatis viro expectandum fuerit, vita pueri-
lis & adolescentiæ studia majoribus quasi thea-
tris proposuerint. Hunc mundum primitus aspexit
eo in loco, in quo Nobiliss. Strenuus & literatissimus
Dn.

Dn. Christoph. Friderico de *Ganitz*/Dn. in *Fischbach*/
Nietschen/*Grossburg & Brschkow*/ &c. cum propria
scripturarum sacrarū cognitione instructus, tum Pasto-
ris doctissimi, nunc Parentis mœstissimi homiliis im-
pulsus Ecclesiā à reliquiis Pontificiorū repurgavit, ab
imaginib. idololatricis liberavit & ad ritus Apostolorū
veros primogenios transformavit. Nato igitur & re-
nato *DAVIDE* Parentis præcipua fuit cura, ut filium
divinitus sibi datum ad Dei gloriam educaret; eamq̄;
ob causam partim intra privatos parietes initia pieta-
tis animo tenello ipse instillavit: partim in civitatis
vicinæ schola, Præceptorū operæ primis literarum e-
lementis erudiendum eum commisit. Eminuit
statim in *DAVIDE*, ut fieri solet in meliorum animis
bonitas quædam ingenii; quod & tradita perciperet
celeriter & percepta memoriâ teneret firmiter; ex quo
effectum est, ut non solum Præceptoribus esset carus;
sed indoles etiam egregia & laudabilis industria nata-
licæ sedis Domino magnifico innotesceret. Itaque
ille primò optimæ præsumptionis adolescenti sum-
ptus ad studia continuenda necessarios liberaliter sup-
peditavit & in celebre literarum emporium Betha-
niam ablegavit: ubi primò *VV. CLL. Dn. Adamo*
Libigio & Dn. Joanni Sculteto tantam ingenii dex-
teritatem probavit, ut in pædagogio primum locum
seu ut inibi vocant, Prætoris dignitatem obtinuerit:
A 2 Postea

Postea translatus in Gymnasium, Rev. & Exc. Viri
Dn. Georgii Vechneri SS. Theologiae Doctoris, & po-
tissimum fratris Dn. Davidis Vechneri tum Ma-
thematici, nunc Pedagogiarum simul sagacissimi præ-
lectiones industriose frequentavit: ibique per inte-
grum novennium commoratus adeo se præbuit in-
dustrium, ut ex stipendio BERGERIORUM mi-
nori, quod tenuioris quidem sortis sed politioris in-
genii hominibus magnifice conceditur, ad com-
mendationem Rev. & Cl. Dn. M. Melchioris Molle-
ri Pastoris Herndorffiensis, viri præcipuarum lingua-
rum cognitione, literarum cum sacrarum, tum seculari-
um scientia solertissimi, portionem aliquot annis, tan-
quam industriæ suæ & laborum præmium reportave-
rit. Diligenter ita in politioris literaturæ studiis infor-
matus ille Anno superiore primo Octobris die in hanc
Academiam venit, non solum annuente voluntate
Parentum, sed sumtus iterum novos amplioresq; sup-
peditante & magnifice concedente Generoso ac lite-
ratissimo Dn. de Sanitz &c. cujus autoritate potif-
simum obsequens, illa quæ in Scholis & Gymnasiis
feliciter incoaverat, animo acri & alacri in ampliori
hoc scientiarum theatro persecutus est. Et si quis scire
velit, qualem se hic inter novos Academiae Consecra-
neos CALMANO noster gesserit? Professores audiat: Una
illorum, quos legentes & disputantes audivit, vox est;
CALMANUM hunc si non cæteros ingenio superasse, di-
scendi

scendi cupiditate & ardore quodam singulari certe
alios velut antevolasse. Hoc ipsum testabitur *Rev. CL.*
& *Excell. Dn. D. Wolfgangus Crellius SS. Theologiae*
Prof. Publ. collegae noster plurimum honorandus, qui in
collegio controversiarum Evangelicarum & in me-
thodo Theologiae Didacticae Polemicæq; industrium
vidit auditorem, diligentem audivit disputatorem.
Testabuntur alii, quibus assiduitatem & solertiam in
exercitiis privatis *Dn. M. Joannis Frantzi*, juvenis
eruditissimi, de quæstionibus Logicis & Physicis disse-
rendo, non sine laude sua comprobavit. In vita reliqua
candidis moribus & genuina probitate talem se gessit,
ut plurimis esset acceptus: & lubricum aliàs ætatis iter
integre & pure conficeret, semperq; ab augusta vicio-
rum via recederet, ad regiam verò Virtutis anhelaret.
Vitam n. egit non ignavia marcescentem, non luxu-
ria diffluentem, non ventri somnoq; indulgentem, non
illecebris deniq;, quib. multoties animi meliores fran-
guntur & enervantur, se dedentem: sed quantum fieri
potuit, ab omni crimine & corruptelis remotam atque
alienam: adeò, ut eam quam longissimè agere videre-
tur dignus. Verùm quæ est in rebus humanis mobi-
litas, in vita fragilitas; spei filum tam eleganter duci
ceptum, opinione celerius ruptum miserè ac rese-
ctum est. Ab eo enim tempore, quo nobiscum vive-
recepit, in corpore varia nutritionis depravatæ pro-
gnostica

gnostica sensit, scabie plerumq; laboravit: quibus fe-
bris æstuosa & periculosa ante aliquot dies accessit, quæ
tanto impetu ipsum adorta est, ut subito à studiis invi-
tum abstraheret ac prosterneret, cibi ac somni capien-
di facultatem omnem adimeret & ab aliis morbis de-
lassatum tandem penitus extingueret. Hoc dum præ-
sensit, post habitis mundi curis totum se dedit medi-
tationi vitæ futuræ, & fiducia certa, quam in Salvatore
CHRISTO collocatam habuit, civitatis æternæ januam,
ipsi certò reſerata tenuit: per quam nudius quartus
14 Augusti, intra hor. i. & ii. pomerid. anima ex corporis ergastulo
egressa, in sempiternæ quietis domicilium cū gaudio
ingressa est. In mœrorem sine dubio & squalorem la-
crymabilē una cum matre conjicietur Parens mœstif-
simus, si filii hujus sui (pro cuius incolumitate nunc
temporis vota faciet peculiari nuncio vocatus) acer-
bum interitum cognoverit. Mœror hic & luctus de
filio, quem *seneſtutis scipionem expetiit*, omni gladio
penetrantior medullam ac viscera sauciabit, ut reme-
dio vix pateat locus: ipseq; cum Hiobo ingeminabit:
*Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio spiritum
ebibit meum.* Habet enim dolor leges suas, quæ nul-
lius admittunt imperium: sed ejus vis intimis inclusa
præcordiis, non obstante ullo robore, erumpit & ad ex-
teriora per lacrymas sese effundit. Et certè non mira-
mur, si eodem feretro portari cupiat cum hoc suo filio
& san-

7. Aug. in
die.

& sanguinis parte jucundissima; de qua nil nisi optima
ingenii dona sperare potuit. Neque enim Dn. Parens e-
rit de eorum numero, de quibus Jeremias loquitur ad
DEUM; *percussisti eos & non doluerunt*: neque fortitu-
do ejus erit *fortitudo lapidis*, ut ait Hiobus, aut caro il-
lius ænea. Itaq; ignoscimus Parentis lacrymis: sed
modum quærimus in mærore. Si Parentem cogita-
mus, non reprehendimus quod plangit; sin Christiana-
num & Ecclesiæ antistitem; istis nominibus Parens
excluditur. Notum ipsi est, in veteri testamento injun-
ctum fuisse Sacerdoti, *ne exiret de sanctis ad mortuos*:
ne scilicet animus DEI sacrificiis vacans aliquo impe-
diretur affectu; eandemq; ob causam nec ipse exhibit
de templo h.e. officio Christiano, sed erit intrinsecus
& voluntati divinæ ministrabit. Quamvis enim casus
hic ad interiora ad affectus paterni penetret; pondero-
sam tamen Domini manum ita sustinebit, ne desi-
derando contrarium convincatur nolle, quod pla-
cuit voluntati Ejus, ad cuius nutum orbis terrarum
concutitur & rerum universitas contremiscit. *Afflictio
enim sine patientiæ condimento, destituta est fructu sa-
lutis: patientia autem si accesserit, dulciora sunt Dei
miserantis verbera, quam hominis demulcentis ver-
ba.* Cogitabit ille omninò, se destinatum esse ad spi-
rituale templum, *in cuius ædificatione requiritur* 3.
Reg. 6. *ut lapides prius crucis malleo tundantur, quam*
in

in caelestis habitaculi collocentur edificio. DAVIDEM
deinceps suum diliget in Spiritu, quem hactenus ama-
vit adfectu: cujus anima instar nobilis grani morbo-
rum flagellis & mortis tritulantis pedibus ex arista
corporis excussa; in horreo Domini est reposita.

Hodiè verò, cum relictum in terra corpus postre-
mo sepulturæ afficiendum sit honore: agite *Academiae*
Cives Nobilissimi, literatissimi, à meridie ante aedes,
quas inhabitavit, dum vixit, Vir experientissimus &
clarissimus Dn. D. MATTHÆUS ZEISIUS Professor
Medicinæ & Practicus felicissimus, ad funus deducen-
dum lubentes frequentes convenite: nostrisq; preci-
bus vestras conjungite, ut misericors DEUS febris ar-
dentis, malignæ dysenteriae & aliorum morborum,
venenosorum impetum ab hoc Musarum contuber-
nio & civitatis hujus finibus benignè avocet potentis-
sima sua dextera: ne, ut in aliis quibusdam Academiais,
docentium & discipulorum coetus miserè dissipetur.
Hoc facite & operam date funeri ejus, qui cum nobi-
scum viveret, socius fuit eorundem studiorum, quæ
colimus; ejusdem spei, quam alimus; nunc heres ejus-
dem regni, ad quod adspiramus. V.

T, E,

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







54.
68

OR
E FRAN-
NÆ
PHORUS
GUS

Professor P. Gene.
rattendens, Ec-
sacri Senior
&c.

funus
s
virtutis
rinae

ALMANI
esii
philosophiæ
cii,

atissimo
temb.

IV.
n cupiunt
NEI,
iæ universos


KOCHII.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8